B. N. C
FIRENZE
1023
8

1023.8


TROIA HETRVSCA
SIVE
GAMELIA LVDICRA

SERENISS. FEDERICO VRBINATIVM
PRINCIPI DECVRSA

SERENISS. COSMO II. MAGNO HETRVRIAE DVCE EDENTE.

AD SERENISS. FRANC. MARIAM
VRBINATIVM DVCEM

Auctore THOMA DEMPSTERO A MVRESK SCOTO
Pandectarum in Acad. Piſ. profeſſore ordinario.



FLORENTIAE Apud Sermartellios. MDCXVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

SERENISS. D. FRANCISCO MARIAE VRBINATIVM ETC. DVCI

Thomas Dempſterus A. MuresK.

NEptunios ludos filio tuo Sereniſs. editos, cui niſi Parenti inſcribam? quicquid enim filij gloriæ acceſſerit, hoc parens in lucro ponere, et ſuum putare debet, & ſi ei ad quem hæc non ſpectarent nuncupandi forent, cui potius quam Serenitati V. deberentur, quæ vtramq; Palladem ita adornat, vt neque miles, in Europa Princeps doctior, nec doctus militari peritia clarior. Me certe ludicra offerentem vel tempus excuſat nam hæc citius à me in muſæo ſcripta, quā in Circo ſpectata etiam Sereniſs. Princeps Dominus meus, & Auguſta mater, et Illuſtriſs. fratres cognouerunt. Vale Sereniſs. Princeps altera hora à decurſione.

TROIA HETRVSCA
SIVE
LVDVCRA GAMELIA
SERENISS. FEDERICO
VRBINATVM PRINCIPI

Florentiæ Poſtridie Eidibus Octobris
M. D. CXVI.

LOcum natura ſua capaciſsimũm ita excellẽtiſs. artificum adornauerat induſtria, vt Circũ plane referret, quippe arena ſpacioſa tribus acceſſibus corniculata, hinc inde cauei amœniſsimis vallata, & ſupreme ſcanſilibus circũſepta ſuggeſtis Circenſes mihi deſitos reduxiſſe videbat? Et nequid antiquariæ maieſtati deeſſet, vnum prothyrion claudebant duæ roſtratæ columnæ oppoſitum ei ornabant obeliſci Soli Lunæque ſacri.

ſacri; Hunc conſeſſum vbi turba impleuit quã non vnius ciuitatis, ſed regni diceres, Nam nõ ædes modo, & caueas, & orcheſtram, & Scænam incredibilis occupauerat ſpectantium, & varietas,& multitudo,verum hi e columnis extrinſecus penduli, illi ſpecularibus,nõnulli tegulis ipſis inſidientes, gratiſsimos magnificę põpæ applauſus meditabantur, et iam omnium vnum id votis ſpirantibus,ecce elephantis trahentibus mons PARNASSVS inuehitur

Arduus aſpectu geminoq; cacumine nubes
Territat, hac Phœbo ſedes vacat, illa Lyæum
Deſpicit, atq; VRBINATEM florentibus alte
Stirpibus oſtentat QVERCVM bellacia quondã
Tempora Ciuili ſolitam redimire Corona,
Et ſerto exornare Iouis, clarumq; Vetuſta
Stẽma domus, qua nõ melior Dodona loquaces
Edocuit monitus, praſagi conſcia veri,
maximus Tyrius Serm. 38 *Intulit, & ſumum dedignatura tonantem*
Hetruſcis creſcit ducibus. Pennata reclini hoc
Tẽdit FAMA iugo, & ſponſalia grata ſonora
Molitur reſonare TVBA, quacunq; repoſtos
Gens habitare ſinus gaudet, qua tollit ab undis
Cæru-

Cæruleos Phœbus currus, qua gurgite lapſus
Heſperio, occiduos petit indefeſſus alumnos.

Mõtem ſtipabant centum ſexaginta Comites, ſuauiſsimo Concentu fauſta ſponſalibus omina perſonãtes, ornati omnes quernæis coronis, pariq; habitu venuſti: qui vbi ad Sereniſs. Princeps deuenere, ſubſiſtere vectores, atq. ibi FAMA melos verè Apollineum, & vt ſemel dicam, Muſicum perſonuit.

Fœdera nectat Hymẽ, quæ fauſta vtriq; futura
Inconcuſſus Amor teneat, nec tempora ſoluant
Vlla æui, videat pater Apeninus in horas
Creſcere delitias, tu Neſtoris, illa Sibyllæ
Exuperate annos, et gens ſi qua vlla remota eſt,
Audiat æterna coiſſe in vincula pacis,
Sãguinis & nexus, MEDICAEOS iure potentes,
Nobileq; VRBINVM, quos nulla reſoluerit hora.

Hæc vbi audita, in tertiã portã, quæ in medio Circo ad id deſtinata, auerſus Mõs tractus eſt, Comites in Buleutico ſcanſili cum nablijs ſuis conſedere, & vtrumq. ſenſum gratiſsimè recrea-

recreauere: cum gryphis ueuentibus ATLAS apparuit altero genu nixus, ac mox vbi ad Sereniſs. Principes deuenit, ſubrectus.

Mole Gigantæa, viſuq. horrendus in auras
Conſtitit, Herculei non roboris amplius ille
Indigus, & iam maiori ſub pondere vellet
Deſudare libens, humeris licet Aetheris eius
Machina ditatur, Cæleſtis adorea viſa eſt
Principibus placuiſſe ſuis, hic circulus ingens,
Et Duodena nitent obliquo ſigna meatu,
ZODIACI ſecta in partes, æqualibus omnes
Diſtinguit ratio ſpatiis, hic, MENSIS, et ANNI
AEquata tempeſtates, nam bruma rigent.
Cincta riget glacie, Ver formoſiſſima pandit
Ora calet nimiis candens feruoribus æſtas,
Autumnuſq. grauis libitinā augere minatur
Hic certis HORAE ſpatiis noctiſq. dieq.
Ipſe ſuper reſidens radiato vertice TITAN
Temperat æquali Celſus moderamine Mundū
Aethiopes iuxta ſubeunt hinc inde GIGANTES
Greſſibus horrendi alternis, immania viſu
Corpora, non alios ieciſſe in ſydera montes
Crediderim, & ſummo fruſtra bellaſſe tonāti:
Cernimus hos, alios cōmēta eſt Gracia mēdax.

Atlas

Atlas cum ſuis Gigantibus vix ad Periſty-lia, & columnas roſtratas peruaſerat, cũ clan-gentibus tubis tertia videri pompa cœpit, ea ſcilicet THETIDIS fuit, ducentibus Phocis.

Hic DEA ſquamoſo reſidet ſublimis in oſtro
Oceani coniux, viridi vallata corona,
Muſcoſo inſiſtens pilento, hic crinibus vda
NEREIDVM denſata cohors vitreiq. Phalanges
Gurgitis, hic Phorci chorus, et Neptunia plaudũt
Agmina, ſed Galatea procul, diuaq. ſalaces,
Et quacunq. vigent obſcœni numina motus,
Caſta placent. hic SIRENES, Blanduſq. ſonora
Iam concha TRITON doctus præſagia caſti
Fœderis in populos late ſparſiſſe repoſtos.
Et iuxta immani comitantur mole Gygantes,
Cultores pelagi quos cœrulus ambit amictus.

Hæc quoq. vt ad ſedes ſibi paratas abijt, ma-iori, quam antea clangore, tuba audita, TRO-IAM ipſam aduentare nunciauit, quippè pe-deſtres cohortes prçcedebant bipartitæ, nouo quodam militiæ genere equitibus præſidio fu-turæ.

Ergo alacres equitum turmæ, lætiq. ſequuntur
Ductores; PRINCEPS ſed enim LAVRENTIVS oēs
Vt genere exuperat, primæuo & flore iuuentæ
Conſpicuus trahit attonitos, ſic Martia Belli
Præreliquis ſimulacra edit, nil doctius illo,
Spumantē ſiue impellat Equū, ſeu fortiùs arctet
Lora decens, gyro Sonipes ſeu currat eodem,
Vimq. animosq. putes vel tali Principe dignos.
Claud. *Hic, & belligeros exercuit area ludos,*
Armatos hinc inde choros, textasq. vagandi
Pulchras lege fugas, inconfuſosq. recurſus,
Et doctas errorum artes, iucundaq. martis.
Illicet inſonuit tuba cum certamiaa ficta,
Mutatos edunt motus, mucronis acutum
Murmur, et vmbonum pulſu modulāte reſultās
Ferreus alterno concentus clauditur enſe.
Et mox coniunctis, diuiſis inde cateruis,
In varios docto diſcurritur ordine gyro.

At in pugna pedeſtri primo vir virum le-gerat, deinde turmatim cōcurſum, mox agmina tota innocuis armis permixta, donec inopinato adueniens, hinc luteam cohortem Veneri legitimæ conſecratam, inde ſanguineo colo-

re

re turmas Marti deuotas diſpulit, & veluti ex æquo diſiunxit NVBES, quã inuexere quatuor triumphales equi, vni iugo iuncti, cõcolores, pari forma, etiam hinnitu gaudia efferẽtes, & quaſi quid ageretur intelligerent, ſpontè ferebant.

Quales Tarpeium ſoliti conſcendere cliuum,
Aurato timone, ſedens cum victor ouantem
Offerret diuis laurum, qualesq. Corœbus
Herculeis rexit ſtadijs, Argæaq. Palmæ
Præmia, olympiacos & primus cœpit honores.
Non tales Acragas nutrit, nec diuite cultu
Niſæis aluere iugis ad Regia Perſæ
Munera, & his palmas vltro præberet Epirus,

Nubes autẽ erat lucida, & quam ſerenato aere antiquitas Iunonis Peplum appellauit.

Qua Paris Atridæ ereptus fata aſpera letus
Fugit, et in charæ gremiũ redit, hac quoq. ſeptus
Vſq. in Sidonij peruenit limina templi
Et primos Anchiſiadès ingeſſit amores
Pheniſſæ infauſta, atq. odium naſcẽtibus atrox.

Ea ſe, vt ſcidit, atq. vtrinq. diduta patuit iucundiſsima ſpecies apparuit.

Hic Pennatus AMOR, ſolio radiante decorus.
Gemmatam intētat Pharetrā, pictisq. minatur
Arcubus, & totas iactantior explicat alas
Hūc circū laſciua cohors GENS mollis AMORVM
Exultat, latisq. oculis, vultuq. ſereno
Metitur reſonos ad dulcia nablia cantus.

Promota quadriga vbi ad ſtationem deſtinatam Sereniſs. coram Principibus conſtitiſſet

Imperioſus AMOR faciles exarſit in iras
Et quaſi iam vellet domito bellare tonanti
Siccine, ait, mea feſta ſibi Gradiuus iniquus
Vindicat? & noſtri reuerentia nūminis hac eſt?
Non patiar, meus iſte dies; & tada releget
Iurgia, ſubſidant animis diſcordibus ira,
Stent bellatrices acies, ſeuiq. tumultus
Vaneſcant, ſint tela procul, iubeo ergo ſolutis
Laſciuire Choris, & connubialia latis
Exercere alacres, qua panditur area, gyris.
Feſta Cupidineos reſonent et plectra triumphos.

Hæc

Hæc vt ille muſico concentu detonuiſſet iã velut placatior paſſus eſt ſe nubi ſuæ inuolui, atq. ſpectantium oculis eripi; Cum ecce.

Inſiliunt equites, galeatoq. agmine feſtos
Exercent gyros, & doctos impete ducunt
Quadrupedante choros, Scires feſtiua iugales
Omina, ſolennes & præſagire paratus;
Namq. vbi lætantes effudit barbitus odas,
Ad numeros Sonipes iuſta ſtatione mouetur,
Et ſalit, & trepidat, & fertur in orbe rotundis
Curſibus; illud erat quod clauſi tecta iuuenci
Fama canit, qua olim centum colit opida Crete,
Quod refluus dubijs ludit Mæandrus in Vndis.
Nec tamen aut Paphiæ capiunt miracula põpæ
Attonitos ſpectãtũ oculos, ſimulachraue amoris
Ludicra: tu mentes vnus, tu ſurripis vnus
Lumina LAVRENTI PRINCEPS, tu gloria põpæ,
Te vagus aſpectus ſequitur, ſentire videtur
Quid geſtet, Sonipes, maioriq. impete fertur,
Pulchrius & lætis præmandit dentibus aurum,
Inque tuis placide perfert ſpumare lupatis.
Certè ego qui Hetruſcos pridẽ nouus aduena adiui
In Te LAVRENTES atauos, & regia COSMOS

Nomina

Nomina FRANCISCOS, et PETROS didita Marti
Pectora, victuros venturo Heroes in auo
FERNANDOS ſupplex venerabar pectore puro.
O! creſcat virtutis amor creſcentibus annis.

Decurſio equeſtris tãdem expleta ceſſauit, & vtraq; Equitũ factio in ſtationem ſuam receſsit diſpalanti metatione, & pedites gradu denſato, & vere militari ad obeliſcos cucurrere, & Epirhedia eodem quo ingreſſa fuerãt ordine Arena exiuere.

99956228

-15

1023.8

Mc